



L O G I C O R U M  
L I B E R P R I M U S  
De  
T H E M A T E.

*Cap. 1. Logicae definitio & distributio,  
adeoque natura.*

**L**ogica est ars modum benè disferendi tra- Definitio  
Logicae.  
dens.

Quod viatori est herma, scribæ calamus, Geometræ circi-  
nus & norma, infanti serperastra; id Philosopho, Theologo,  
Jurisconsulto & Medico est Logica; instrumentum videlicet  
non arbitrarium, sed necessarium. Hinc illa in Organi Ari- Logica quo-  
modo sit  
instrumen-  
tam?  
stotelici inscriptione vocatur ὄργανον ὀργάνων καὶ χεὶρ τῆς φι-  
λοσοφίας; augusto sanè titulo. Malè igitur suis studiis consu-  
lunt, qui hoc instrumento necessario susque deque habi-  
to in immenso infinitarum materiarum pelago se quasi vo-  
lutant. Sed & illi non minùs malè sibi consulunt, qui Logicis  
chartis duntaxat impallescent & tantùm non immoriun-  
tur, alias verò disciplinas ne primoribus quidem labris de-  
gustant, existimantes ἅπαντα ὀκτά, ut vetus est verbum, in  
Logico campo latere; de quibus *Lipsius lib. 1. manu duct. ad  
Stoicam Philosophiam disert. 16.* ex Plutarcho eleganter:  
*Quidam philosophantium, ait, AVIBUS similes videntur, qui  
levitate quâdam & ambitione ingenii elati alta petunt, &  
physica scrutantur tantùm. Alii CANIBUS, qui laniare  
& vellicare avidi, soli Logicae adhaerescunt, ut pelli, & in eâ  
rixantur, & mentem ad ulteriora non mittunt.* Sic ille.  
Utrumq; hoc cacoëthes volui sanare, quando Logicam in-  
strumentum dixi necessarium. Si enim est instrumentum